

1529 *racensis, quam Madriti inite pacis memores sint. Omnis itaque ex animis vestris, si forte quis insedit, timor pellendus est, omniaque cum dignitate agenda; cum praesertim adhuc in vestra potestate Flaminiae, atque Apuliae urbes existant, quas, Caesare Italia profecto, imminutoque exercitu, non ita facile e manibus vestris eripi patiemini. Modo se vobis pacis conditiones exhibituros credunt, tunc vos petentibus iis, quae magis e re vestra erunt, adsentiemini. At dicet aliquis, Pontificem recipiendarum urbium desiderio flagrantem Caesari faces ad bellum additurum. Quasi vero omnia iterum misceri, prioribusque calamitatibus involvi exoptandum illi sit, qui captivitatem, omniaque humana mala perpeffus, nunc primum respirare inceperit. Alio Clementis mens, atque consilia spectant; in Florentinos jam spicula furoris contorquet; jam Mediceam familiam pulsam patria, ejectum domo, in priori dignitatis, ac potentiae gradu collocat; jam Reipublicae formam immutat. Quanam re illius animum vehementius impelli putamus? an Flaminiae urbium obtinendarum spe, quas pace potius, quam bello recipere potest? an domandae civium pervicaciae, & restituendae familiae, ad quam rem conficiendam copiae in promptu sunt, ad arma conclamatum, in Hetruriae faucibus Arausionensis Princeps cum Caesaris exercitu haeret? Neque vero credibile est, Pontificem Rempublicam Venetam dejectam velle, quae semper Pontificiae auctoritati faverit, Apostolicae Sedi laboranti opem tulerit; mutuo collatis viribus libertatem ac decus Italiae niti non ignorat. Quocirca sperandum est, ni praepropere acerbos adhuc fructus carpere velimus, haud multo post majori cum dignitate, atque utilitate praecleara, atque undequaque absoluta laborum nostrorum praemia nos laturos.*

*Andreas
Rubeus
Mantuanum
missus.*

Inter discrepantes sententias mediam quandam rationem inire placuit. Itaque Andreas Rubeus a secretis Senatus ad Marchionem Mantuanum missus est; mandatumque, ut gratias publico nomine ageret; benevolum in illum, ac gratum Senatus animum testaretur; eadem mente, qua semper fuerit, de pace cum Caesare ineunda Rempublicam esse; in conventum Bononiensem negotium differre statuisse, quo propediem Pontifex, & Caesar, ut Reipublicae Christianae rebus confu-

le-